

Continuatque dapes ; nec non vernaliter ipsis
 Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.
 Ille cubans gaudet mutatâ sorte, bonisque
 Rebus agit lætum convivam, quum subito ingens
 Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
 Currere per totum pavidi conclave ; magisque
 Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
 Personuit canibus- Tum rusticus, " Haud mihi vita
 Est opus hâc, ait, et valeas : me sylva cavusque
 Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo."

(HORACE, *Satires*, liv. II, 2.)

VII

FRAGMENTS DE L'ART POËTIQUE.

I. L'UNITÉ EST INDISPENSABLE A TOUTE COMPOSITION
LITTÉRAIRE.

Humano capiti cervicem pictor eqninam
 Jungere si velit et varias inducere plumas
 Undique collatis membris, ut turpiter atrum
 Desinat in piscem mulier formosa superne :
 Spectatum admissi, risum teneatis, amici ?
 Credite, Pisones, isti tabulæ fore librum
 Persimilem, cujus, velut ægri somnia, vanæ
 Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
 Reddatur formæ.—Pictoribus atque poetis
 Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.—